



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Silvester Papa. 31. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mali cedere, pedibus Dii se & templa sua subster-
nere: quibus permotus Comes cum vi. militibus
fidem nostram est amplexus. PHILETÆRVS cūm
Eubiotum virum sanctitatis famā celeberrimum
adiret, monitus hic ab Angelo bono obviā Mar-
tyri progressus est. In eius antro Divum septimo
die, socios verò duodecimo, ab exilio mors absol-
vit. Ex Menais.

*Quare tuum bonum. Nemo bonus nisi unus
Deus: summum bonum hoc est bonum tuum. Pec-
ori quid bonum est, nisi implere ventrem, dormire, ge-
stire? Tale tu bonum quaris? Coheres Christi quid
gaudes, quia socius es pecorū? S. August. in Psal. 102.*

S. SILVESTER PAPA.

31. Decembris.

Patria SILVESTRO Roma, Romæ, hoc est, pa-
trix, pater ipse SILVESTER fuit. Hoc tamen
orbare Romam Urbis probrum Tarquinius vo-
luit. Sed SILVESTER ad tribunal citatus, novo
more mortē iudici reus indixit. Dictum, factum.
Piscem dum cœnat, os fortē ex hoc gutture re-
ceptum Tarquinius hamum mortis esse sentit.
Post hæc dum Constantinus remissius rem Chri-
stianam curat, & sopitæ nuper iterum in pios per-
secutiones recrudescunt, exul SILVESTER mon-
tem Soracten insidet; impietatis fœditatem, ut
videret Imperator, leprā inficitur. Sacrificuli, le-
pram ut abluat, balneas è parvulorum sanguine
suadent. Ingemuere ad consilium impium omnes
Romanæ matres, cūm audirent sanguini, quo
vel manum aspergere scelus semper non expian-
dum habitum est, totum velle Imperatorem in-
gnatate; certē innatate rectius. tot matrum lacrimis
jam

jam poterat. Et verò ejulatus, & comploratio totâ urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique pœnitens, censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea principium Apostolorum species dormienti oblata vocare SILVESTRVM jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus, lepram corporis animique exuit. Triumphum SILVESTRO mortuo anno ccc,xxxv. cœlum de-crevit. *Ex Baronio.*

Mirritur Virginis Filius, Filius Dei altissimi. Et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnosce homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. S. Bern. serm. 3. de Nat.

S. BARBATIANVS CONE.

31. Decembris.

BARBATIANVS Sacerdos Antiochiâ Romam venit, credo ut virtus viri, & prodigia facilius inde in orbem se diffunderent. Etenim cum sub adventum suum cœcum, alteramq; oculis laborantem puellam curasset, oculos omnium in se vertit: & cum servulum Imp. Valentiniani per scalas precipitè in pedes crexit, ipsum sibi Imperatorem devinxit. Igitur à Placidiâ Augustâ Ravennam deductus, auctor huic cœpit esse, ut D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, honori templum augustum moliretur. Persuasit, & ubi ad fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse Divus Ioannes Pontificali habitu insignis ædem sacrare visus est, & miraculi vestigium sandalium dextræ pedis Augustæ relinquere. Atque hoc templum, cum oculi totum se BARBATIANVS addixisset, mira-